DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROCEPHALO ACUTO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROCEPHALO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.,

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS FERRAR,

HIBERNUS.

Pridie Idus Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1811.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

Auctore Edvardo Ferrar.

PRÆFATIO.

Morbus, de quo scripturus sum, viris antiquioribus fere ignotus fuisse videtur. Non quod non hic illic scripta medicinæ ipsius patris, Celsi ornati, aliorumque veterum medicorum, quædam sparsa sane et manca habent, plane non nisi ad *Apoplexiam hydrocephalicam* pertinentia; sed quod hi celebres viri malorum huc spectantium, quæ passim

 literis

literis mandarunt, causas, naturam, et sedem, prorsus ignorabant.

Neque ullus fere inter recentiores hunc morbum cognovisse videtur, donec Whyttius et Quinius, perspectis ejus indiciis propriis, et mortuorum corporibus patefactis et inspectis, primi omnium eundem lucide descripserunt, et ejus signorum rationem, et ipsius causas et sedem, et curationem ei accommodatam, in medium protulerunt.

Quæ de hoc gravi argumento ediderunt Monroius secundus, Fothergillius *, Rushius, Cheynius, aliique, non parum idem illustrarunt, præcipue quod ad medendi rationem.

Huic morbo alii alia imposuerunt nomina; quidam *Hydrocephalum acutum*, aut *internum*, aut *phreniticum*, alii *Apoplexiam hydrocephalicam*, alii denique *Apoplexiam phreniticam*, eum nominarunt. Nomen *Apoplexia phrenitica* cæteris præstare videtur, eo quod pleræque hujus

* Vide Lond. Med. Obs. vol. iv.

jus mali jam ineuntis notæ, cerebrum quodammodo inflammari ostendere videntur; et quia signa, quæ postea accedunt, idem opprimi plane denunciant. Ea voce *Hydrocephalus*, quidam uti nolunt, eo quod non semper cerebri patefacti cava latice scatere reperta sunt.

DE DEFINITIONE.

HUNC morbum classi *Neuroses*, ordini *Comata*, et generi *Apoplexia*, subjectum, CULLENUS hacce oratione definivit: "Apoplexia "hydrocephalica; paulatim adoriens; infan-"tes et impuberes, primum lassitudine, fe-"bricula, et dolore capitis, dein pulsu tar-"diore, pupillæ dilatatione, et somnolentia, "afficiens *."

Si

* Vide CULLEN. Synops. Nosolog. Method. g. 42. sp. 3.

Si quid ille perinsignis vir hic peccavit, id maxime e voce "plerumque" prætermissa constat: notissimum est enim hoc genus adversæ valetudinis interdum homines ætatis mediæ adoriri *. CULLENUS autem non prorsus culpa vacat, eo quod, de arteriarum motu celerrimo, circa finem hujus morbi, siletur. Hic incitatissimus motus nequaquam nomen *Apoplexia*, vetat; medici enim summæ auctoritatis et fidei perhibuerunt, si cerebrum aliquantum opprimitur, cor et arterias inde solito tardius micare; si vero id viscus multo vehementius premitur, horum motum denuo celerrimum fieri.

Audito GREGORIO nostro, et perpensis quæ de hoc morbo legi, hisce verbis eundem definire placuit:

"Incitatio insolita arteriarum cerebri, paulatim adoriens; sæpius infantes, rarius adultos, fere nunquam senes, primo lassitudine, "febricula,

* Audi GREGORII Prælectiones de Med. Pract. in Acad. Edin.

"febricula, et capitis dolore, dein pulsu tardiore, tandem celerrimo, pupilla patula, et somnolentia, afficiens."

Non ignoro hanc orationem multis egere, summi momenti ad propositum morbum pertinentibus: quæ tamen intra limites continere, qui rite definitionem complectuntur, difficile, imo alienum esset: definire enim longe aliud est quam describere.

DE SIGNIS.

Apoplexia Hydrocephalica potissimum infantes et impuberes adoriri solet; rarius adultos, senes haud unquam, invadit. Caput pro rata parte amplius infantibus, calvaria mollior, et arteriæ pleniores, causæ præcipuæ esse videntur, quare ii præsertim corripiuntur. Mares sæpius quam fœminæ laborant.

Quoniam, plerisque auctoribus visum est hujus mali cursum in tres partes diducere; et talis

talis distributio utilis est, et ipsius morbi naturæ convenit; eos imitatus, istum ordinem sequi volo.

Pars prima. Morbo ineunte, æger admodum animo et corpore, languet et hebetatur; munus ventriculi mirum in modum turbatur: miser semel aut bis, sæpiusve quotidie evomit; interdum tertio quoque die: vomitus et dolor capitis vicissim torquent. Caput vero dolet, aut circa frontem, aut ad verticem, aut alterutro latere; et quod latus dolet, versus id caput flexum inclinatur. Nec dolore vacant aliæ partes.

Nunc genus *nervosum* incitari præter modum cœpit; sensilius et irritabilius fit corpus. Oculi lucem ægre ferunt: æger vigilat noctu; aut si dormiat, somniis diris exagitatus, subito quasi perterritus expergiscitur. Inter dormiendum vel alias, sæpe nares digito admoto carpit, aut dentibus frendet. Vigil, continuo fere voce luctum edit. Alvus pigerrima ægre medicamento solvitur; et si quid descendit, id fere est nigrum, aut viride,

et pessime olet. Arteriæ crebrius et sæpe durius quam ex consuetudine micant; interdum plus centies sexagesima quaque horæ parte. Vultus rubet; et febricula vesperi increscit. Omnia excernenda et secernenda parcius effunduntur: fauces arent: æger sitit: lingua fere inarescit, et sordida est; interdum rubet, madet, et nitet: urina parcior est et rufa: summa cutis aret et incalescit: nec raro æger delirat, eoque magis si juvenis sit. Hæc signa diutius aut brevius perstant, raro ultra quatuordecim dies.

Pars secunda. Signa nunc accedunt, quæ plane cerebrum opprimi denunciant. Inter hæc, maxime memoratu dignum est, arteriarum motus multo tardior, et simul exilis et inæqualis. Æger spirat graviter et raro, et interdum stertit. Dolor consopitur, et æger aliquamdiu sanitatem recepturus esse suis videtur. Nihilominus tamen febrit et calet. Pupilla oculi patula non luce coarctatur; et aliquando ægrum ludit duplex imago uniuscujusque

cujusque rei objectæ. Stupor altus accedit. Æger sæpe manum capiti admovet, quasi aliquid offensæ sublaturus; et quasi insaniens diros edit clamores. Nonnunquam cibi desiderium nunc intenditur; neque hic ingestus, ut antea, evomitur. Alvus adhuc pigret, quanquam aliquando fluit, vermibus dejectis, nec tamen inde malis aliqua ex parte lenitis. Aliis aliud est spatium temporis, quod hæc signa complectitur; plerumque paucis diebus finiuntur; nonnunquam, sed rarius, duas tresve hebdomadas perseverant.

Pars tertia. Hanc ineuntem indicant arteriæ micantes celerrime, exilissime, et simul paribus intervallis; interdum adeo celeriter, ut quoties moveantur certo tempore, medicus digito capere aut numerare vix possit. GREGORIO testante, interdum saliunt centies et nonagies, sexagesima quaque horæ parte: et amplius ducenties, testibus WHYTTIO et MONROIO SECUNDO. Æger simul crebro et graviter spirat. Alte stupet, vix excitandus; sed mussitat et secum luget. Pupilla amplior

fit;

fit; palpebræ resolvuntur; et oculi simul turgent. Vultus pallet et collabitur, excepto quod exigua pars ejus sæpe rubet. Anima fœtet. Cutis aliquando, nec tamen persæpe, maculis purpureis efflorescit. Resolutis fibris, excernuntur præter voluntatem stercus et urina. Vorandi difficultas, tremores, et nonnunquam nervorum distentiones, vel resolutiones, nunc tandem superveniunt. Tendines sæpe digito imposito subsilire observantur: et plerumque miser animam efflat convulsus.

Hujusmodi in plerisque exemplis est morbi propositi progressus. Alius tamen aliis sit necesse est; id quod notare licet, quod ad alia valetudinis adversæ genera. Interdum æger antea absumitur, quam eo sit ventum, ut signa secundæ partis accesserint.

QUÆ, INCISO CADAVERE, PATEFIUNT.

Hæc etiam varia sunt et multiplicia: quædam ipsum morbum intulisse, alia eundem secuta esse, alia denique fortuito cum hoc malo sociata esse, videntur.

Ex his notatu longe dignissimum, est copia non exigua laticis, quo distenduntur fere cerebri cava; unde morbus ipse nomen usitatissimum tulit. *Ventriculi laterales* humore tenui, aquæ simili, fere implentur; interdum vero alteruter solum, foramine *Monroiano* deleto. Longe sæpius tamen omnia cava plena sunt: copia variat, eo ut modo duæ, modo quatuor aut sex unciæ inveniantur. In perpaucis exemplis multo plus repertum est. Hic humor paulo tenuior est quam similes in aliis partibus corporis: vix aut ne vix albumen

men continet. Scriptis mandatur interdum quosdam hoc morbo periisse, et omnes ejus partes expertos esse, nullo latice post mortem detecto: et semper quo minus humoris subest, eo magis turgent vasa cerebri.

Tubera mole et natura varia in cerebro reperta sunt; quæ interdum ante mortem suppurant, et ita nervorum distentiones gignunt.

Cætera vitiosa plane sunt referenda ad incitationem vasorum cerebri: nempe tunica *arachnoidea* sæpe crassior, *fibrina* in ejus faciem effusa, et pia mater similiter se habens, et vasis sanguineis simul plenior. Rarius sed aliquando dura mater subjectis adhærescere observatur. *Plexus choroideus*, et *glandula pituitaria*, quædam vitia præ se ferre interdum memorantur.

DE DIAGNOSI.

Tria sunt vitia proposito morbo adeo similia, ut etiam experto sit errandum. Morbi, de quibus dico, sunt Verminatio, Tabes mesenterica, et Dentitio. De quorum singulis breviter disserendum.

Verminatio. Consensus ille mirus, quo invicem sociantur cerebrum et intestina, et labes ea, struma, pariter utrique morbo contingens, causæ esse videntur, quare medici toties hic decipiantur. Ineunte hydrocephalo, oculi minime lucem patiuntur, et alia signa cerebri quodammodo inflammati accedunt: quæ tamen semper desunt verminationi. Motus arteriarum illi adeo multiplex, huic parum mutatur. Vomitus gravis et dolor capitis vicissim urgentes, non vermibus subesse

subesse videntur; quibus contra, cibi desiderium aliquando potius intenditur. Morbo proposito artus raro convelluntur, nisi circa finem; sed per totum decursum alterius. Illi etiam alvus tardissima ægre solvitur; huic autem fusa est, aut si pigra, facile liquatur. Denique quod descendit, illi est durum, et nigrum aut viride, et fœtet; huic autem glutinosum et subalbidum. Cætera signa utriusque fere communia esse observantur.

Tabes mesenterica. Huic morbo signa ad strumam pertinentia graviora erunt; scilicet venter tumidus, desiderium cibi intentius, alvus resoluta, et marcor: contra, notæ quæ inflammationem prædicant cerebri, fere deesse videntur.

Dentitio. Si membra infantum ante convelluntur, quam dentes gingivas transfixerint, cum aliis ejusmodi malis, vix dubitandum est, quin dentes hæc mala gignant; præcipueque, si hæc, gingivis incisis, paulatim evanescunt. Quinetiam, vomitus, oculi parum lucis tolerantes, et alvi pigritia, hic multo minus

minus quam in morbo, quem prosequor, urgent.

DE PROCLIVITATE.

Labem a parentibus ad natos traditam, maxime et potissimum infantes ad hunc morbum propensos reddere, nobis persuadetur; neque vero facile est clare ostendere, quæ aut qualis sit hæc labes. Hanc autem esse strumam diram, qua plures sane hoc morbo laborantes imbuuntur, plerique credunt: alii opinantur labem, de qua dissero, parentibus parum temperate vivere solitis, sæpe enasci. Peritissimis vero et exercitatissimis medicis, qui studium huic morbo dederunt, visum est, proclivitatem, de qua agitur, maxime struma saturius corpus inficiente contineri. Hoc sane plurima ad hunc morbum pertinentia luculenter

culenter edocent: tubera nimirum, de quibus retulimus, quæ toties cerebro subesse observantur, plane non aliorsum referenda: et indoles ipsius corporis, qualis fere strumæ contingit. Res enim est satis nota, infantes, quibus cutis tenuior, pulchrior, et speciosior est, quibus oculi cœrulei, ingenium præcox et acutius, præ cæteris malo proposito esse opportunos. Huc porro pertinet, quod non raro *glandulæ mesenterii* Hydrocephalo implicitis intumescunt et indurescunt; et quod alia istiusmodi occurrunt. Neque non jure asserere licet, ipsam infantiam, quodammodo saltem, proclivitatem gignere: nimirum, quia istius ætatis proprium est arterias pleniores et incitatiores esse; et caput pro rata parte amplius, et calvariam et cerebrum molliora, minus impetui gravi sanguinis obniti posse.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Necesse est ut oratione brevi hanc propositi partem absolvam: causæ enim unde proficiscitur hic morbus, nec multæ, nec non obscuræ sunt. Quidam perhibent eum excitare vasa cerebri laxa et resoluta: id autem proponere non est causam excitantem proferre. Aliis videtur caput infantis jam nunc per vias maternas transeuntis oppressum, hunc morbum interdum ciere. Verisimile tamen est istam causam *Hydrocephalum chronicum* potius quam malum propositum arcessere. Alii alias, inepte multi senserunt: scilicet, ad vasa lymphatica dirupta, hunc morbum quidam retulerunt *. Alii ad *glandulam*

* Ita quidem sentire *anatome* fortiter vetat; nemo enim, excepto Mascagnio, hucusque talia vasa in cerebro humano patefecit.

lam pituitariam duriorem : quæ tamen non nisi alterum morbum *chronicum* inferre posse videntur.

Perspecta incitata actione arteriarum cerebri, ineunte hac valetudine, longe alienæ causæ petendæ esse videntur ; neque non verisimile est alvi torporem pariter fere ejus causam et effectum esse existimandum. Forsitasse humor iste acer, cui nomen *meconium*, non tempestive excretus, interdum hunc morbum cievit. Eo magis ejus causas inter viscera abdominis petendum esse videtur, quod medicamenta alvo incitandæ idonea, mirum in modum ad hunc morbum sanandum valent; et quia, quod nemo ignorat, ista viscera et cerebrum invicem consensu perinsigni sociantur. Denique, scire licet omnes noxas, quæcunque inflammationi accendendæ sunt habiles, admotas, morbum propositum progignere posse.

DE CAUSA PROXIMA.

Nunc tandem inter medicos convenit, vocem istam, causam *proximam*, nempe, quæ morbum sublata tollit, mutata mutat, parum accurate adhiberi; quoniam nullus omnino morbus ejus simplicis est naturæ, ut unico statu alicujus visceris contineatur. Hac tamen voce usus, ne videar inepte fastidire, quod consuetudo firmavit, perhibeo causam hujus morbi proximam, vel continentem, esse, inflammationem, aut certe actionem incitatam, cerebri et ejus membranarum, ætate tenera et struma, et aliis fortasse causis, propriam factam; quæ fere, sed non semper, in laticis profusionem desinit. Quæ supra de morbi signis, et de iis quæ, patefacto cadavere, reperiuntur, disputavimus, hanc causam esse continentem adeo clare arguunt, ut ple-

nius

nius causas enarrare quare hoc sentiamus, supervacuum esset.

DE RATIONE SIGNORUM.

Cerebrum non suis muneribus rite perfungendis habile esse, nisi ejus vasa copia idonea sanguinis, qualem arteriæ vehunt, impleantur, probe docent quam plurima ad valetudinem cum secundam, tum etiam aversam pertinentia. Hinc, rivo isto incitante denegato, aliquamdiu quiescunt ejus functiones : anima nimirum deficit. Contra eodem flumine uberiore, concitantur eædem, et acuuntur singuli sensus, pariter interni et externi. Tali motu incitatiori cerebri arterias, ineunte hoc morbo, exagitari, manifestum est: hinc oculi irritabiliores a luce abhorrent; hinc caput dolet, vultus rubet, æger vigilat, omnesque arteriæ

concitantur.

concitantur. Miser cibos ingestos evomit, ob mirandum istum consensum, quo, quicquid patitur cerebrum, plectuntur viscera quorum ope cibi concoquuntur: ex eadem causa torpet alvus. Nares pruriunt, et æger frendet dentibus, maxime propter alvum pigram et irritatam.

Præcipua indicia secundæ partis hujus valetudinis, nimirum, pupilla immobilis, et patula, duplex imago unuscujusque rei oculo objectæ percepta, et motus arteriarum tardior, plane ad cerebrum oppressum referenda sunt. Quod ad duplicem imaginem perceptam, id est, axes oculorum non coeuntes, hoc signum ex altero *thalamo* aut nervo *optico* plus quam altero oppresso proprie enascitur; quo fit, ut oculi non motu æquali volvantur.

Aliquanto difficilius est explicare, quare arteriæ adeo celeriter, morbo jam ad metam properante, micent. Res est autem notissima, cum cerebrum paululum oppressum motum arteriarum tardat, idem multo gravius oppressum, hunc motum potius celerare. Nervorum distentiones, aut ex viribus labefactis,

factis, et simul corpore irritabiliori, aut e cerebro exulcerato vel tuberibus impedito, exoriri possunt. Si nervi ante mortem resolvuntur, id cerebro presso, eoque generi *nervoso* torpenti, tribuendum est. Nec aliorsum referendum, quod ad finem, stercora et urina sæpe præter voluntatem elabuntur; nimirum, resolutis fibris apud imum intestinum et cervicem vesicæ.

DE PROGNOSI.

Constat ex jam dictis, longe sæpius de ægri salute esse desperandum. Nulla remedia valent, nisi inter ipsa principia dantur, priusquam malum suas diras radices altius corpori infixerit. Scientissimi medicorum fatentur, simul atque prodierint signa, unde jure laticem effusum fuisse, aut cerebrum quoquomodo oppressum, suspicemur, fatum nunquam

nunquam non esse metuendum et expectandum. Confessus est ipse WHYTTIUS, nulli fere peritia secundus, ne unicum quidem faucibus hujus pestis traditum, se expedire potuisse *. E viginti duobus, qui miseri eadem conflictati sunt, curante MONROIO, et e quadraginta, quibus medicinam fecit GREGORIUS †, ne quidem unus convaluit. Nec vero non quidam longe aliud sensisse videntur: PERCIVALUS, MACKEIUS, DOBSONUS ‡, et quidam alii, hunc morbum non semper immedicabilem prædicant. Bis, exulcerando, eum fugavit RUTHERFORDIUS. Denique RUSHIUS et CHEYNIUS idem testati sunt.

Summa

---

* Vid. WHYTT. Works, p. 725.

† Nuper vero Professor noster inter prælegendum nos certiores fecit, se curante, sexties aut septies hoc malum medicinæ cedere apparuisse.

‡ Lond. Med. Obs. vol. 6.

Summa tamen fides et auctoritas, quas Monroio, Whyttio, et Gregorio, concedimus, fortiter suadent, nulla arte sanandum esse Hydrocephalum Acutum jam inveterascentem.

DE RATIONE MEDENDI.

Quoniam circa initia sæpe incertum sit, ad verminationem an ad malum propositum signa pertineant, oportet imprimis ea dare remedia, quæ vermibus necandis aut dejiciendis accommodata sint. Ex his vero valentissima sunt, quæ acriter alvum expurgant: qualia *Sub-murias Hydrargyri*, radix *Convolvuli Jalapæ*, &c. Hæc juvabunt pariter, illa an hoc æger implicetur. Si igitur, alvo bene solicitata, et vermibus aut descendentibus aut non prodeuntibus, mala Hydrocephali propria

propria increscunt, nullus dubitandi locus est.

Curatio duplici consilio continetur.

Alterum est, sedare cor et arterias, eoque inflammationem vincere.

Alterum, efficere, ut humor profusus resorbeatur.

Fortasse tertium adjicere licet, nempe, signa molestiora lenire.

1. Ad hoc exequendum, omnia utenda, quæ exinaniendo, molem sanguinis imminuant; aut quæ sedando, ejus impetum frangant: simul evitanda, quæcunque incitarent. Optima ad exinaniendum sunt, detractio sanguinis, purgatio alvi, et exulceratio: ad sedandum, *Digitalis purpurea*, refrigeratio, lavatio pedum, et quædam alia. Abstinendo a victu incitante et implente, præcipua evitanda fugiuntur. De horum singulis nunc disputandum.

Detractio

Detractio sanguinis. Etsi nemo negavit venam feriendam esse, disputatur tamen idne circa partem laborantem, an apud brachium fieret. Quum hic morbus cito corpus infirmat, teneræ ætati potissimum incumbit, multi nolunt venam brachii secare, ne debilitando celerarent profusionem laticis venturam. Fortasse melius apud infantes e parte detrahitur sanguis, aut per cucurbitulas cum ferro, aut hirudines, aut arteriam temporis incisam : apud juvenes aut homines adultos, e vena brachii. Rushius largius sanguinem mittere solet, etiam ætate ægri tenerrima; idque optimo exitu, si ei fides est habenda. Quod si signa gravem ostendunt inflammationem, et æger plenior et validior est, quæcunque sit ætas, non a sanguine fusius mittendo abhorrendum est: quærendum est enim, non æger juventute floreat, an infantia aut senectute titubet, sed potius vires supersint an desint.

Alvi purgatio. Quoniam alvus semper pigerrima est et solutu difficillima, et hoc sig-

num complura alia progignit aut intendit; quam celerrime intestina medicamentis acerrimis administratis sunt omni sorde expedienda: imo etiam id opus est per totum morbi cursum. Hæc remedia simul prosunt, humores a capite deorsum ad intestinum vocando, eoque impediendo quo minus latex profundatur. Optima, ut credo, sunt *Sub-murias Hydrargyri*, *Convolvulus Jalapa*, scammonia, et aloe: porro sales medii convenienter adhibentur. Sæpe opus est, ob alvi torporem insignem, multo plus horum præcipere, quam quod, si aliunde ægrotaret infans, sufficeret: imo non raro, nisi grana decem sub-muriatis hydrargyri devorentur, alvus non descendit. Quod ad remedia ad vomitum faciendum data, jam tandem obsoleverunt: quicquid enim juvare possunt, id moliuntur alvi purgantia; et ipse vomitus, humores ad caput impellendo, nocet.

Exulcerantia. Si cutis efflorescit, et dein ex improviso efflorescere desinit, notissimum est aliquid mali inde sæpe partibus interioribus

bus incumbere. Qua re probe cognita, facile medicis in mentem veniret, hunc morbum cute exulceranda levari aut summoveri posse. Exulcerantia igitur sæpe præcipiuntur, nec exiguo profectu imponuntur. Non prodesse videntur, solummodo serum istud perexiguum, quod cuti subjici faciunt, educendo; sed præsertim sanguinem extrorsum trahendo. Hinc hujusmodi remedia inflammationibus maxime conveniunt.

Proximum est, ut de remediis sedando juvantibus disputem.

Digitalis purpurea. Inter plerosque medicos, suæ artis expertos, vix dubitari videtur, quin hæc herba mirum in modum cordis et arteriarum motum sedet. Non sane ignoro, Doctorem SANDERS nuper literis mandasse, hanc plantam prius cor arteriasque incitare, quam sedat: quod verum esse potest. Illud vero est manifestum, hanc incitationem tantulo tempore finiri, ut non vetet, quo minus digitali uteremur in hunc aliosque similes morbos. Oportet ut medicus qui hoc reme-

dium

dium præcipit, prudens et ejus proprietatum scientior sit. Interdum enim, ex aliqua corporis proprietate minus intellecta, minima hujus plantæ copia dirum eventum habet, qui sæpe non se ostendere cœpit, nisi postquam sex aut septem dies illa devorata fuerit. *Tinctura* hujus plantæ infantibus potius conceditur, quam *Infusum* aut *Pulvis;* idque, propter ventriculum adeo irritabilem. Incipiendum e tribus guttis quotidie sumptis.

Refrigeratio Capitis, et *Pedum Lavatio*. Refrigerando caput, plurimum levantur ejus dolor et inflammatio cerebri. Hoc bene efficitur caput ad cutem tondendo, et dein obtegendo linteis aqua frigida madefactis, continuoque eadem sæpius imbutis, quoties tepeant aut siccescant. Lavare pedes aqua calida proderit, sanguinem detrahendo a capite ad inferiora, et forsan etiam totum genus nervosum quasi consopiendo. Eodem spectat caput sublime habere, quantum id fieri potest. Eodem consilio exuenda quæcunque

cervicem

cervicem opprimant; et vestitu solutiori utendum.

Abstinentia. Tollenda omnia, quæ recta aut indirecte nervos aut sanguinea vasa stimulent. Cibus e frugibus optime conficitur, qualis refrigeret, et facile concoquatur, et parcior simul. Potus dilutissimus foret. Æstus, lux intentior, sonus, et alia hujusmodi, sunt fugienda.

II. Quo secundum consilium exequamur, imprimis utenda sunt omnia medicamina et remedia jam dicta, si excipias sanguinis detractionem: scilicet, purgatio alvi, exulceratio, digitalis, &c. de quibus igitur iterum orationem habere vix opus est. Cætera remedia quæ efficere possint, ut humor effusus resorbeatur, sunt, *Sternutamenta*, *Argentum vivum*, *Quæ urinam* aut *sudorem movent*, et *Vis Electrica* et *Galvanica*.

Sternutamenta. Hæc juvant humores e capite ducendo, et forsan etiam stimulando

vasa

vasa resorbendo accommodata. Præpollent *Sub-sulphas hydrargyri flavum*, et folia *Asari Europæi*. Rarius dantur.

Argentum vivum. Hoc potens remedium prodesse creditur, vasa *lymphatica* ciendo. Auctoritate MONROII SECUNDI fretus *, quanticunque apud alios æstimetur, non magni hoc facio auxilium. Ut antea enim dixi, ille vir celeber hoc metallo frustra viginti duos hoc malo implicitos curavit. Difficillimum esse solet corpora infantum laborantium probe hoc medicamine imbuere. *Unguento* illinenda est summa cutis.

Quæ urinam aut *sudorem movent.* Hæc *Hydrocephalo chronico* potius convenire videntur, quam morbo, de quo agitur. Si quid *Digitalis purpurea* data ad urinam movendam confert, eatenus aliquantum juvare potest; sed magis, ut opinor, ratione supra memorata. Quod ad ea, quæ sudorem movent, GREGORIUS meminit

* Vide MONRO on the Brain, Eye, and Ear.

meminit, semel hoc morbo correptum *strabismo* expeditum esse sudando, aliter ne quidem hilum levatum.

III. Vomitus et dolor capitis tantum cruciatum moliuntur, ut hæc mala lenire apprime oporteat. Ille, si gravior sit, consopiendus erit medicamento facto ex *Acido citrico* et *Carbonate Sodæ*, ipso tempore, quo spumat, devorato: postea assumptis paucis guttis *Tincturæ Opii* et Vini *Tartritis Antimonii.* Dolor capitis refrigerando, ut ante fuit præceptum, multum sedari solet. Scire etiam licet remedia exinanientia, de quibus jam disseruimus, huc operam esse collatura.

DE

DE HOC MALO PRÆCAVENDO.

Si quidem hic morbus fere sanari non potest, constat, maximi interesse probe novisse, quibus rationibus ei venienti occurratur. Si quis igitur aliis prius hoc morbo absumptis cognatus, hujuscemodi corporis indole sit præditus; nimirum, si ei caput pro rata parte sit grandius, si vultus rubore floreat, oculi sint cærulei, tumeat labium superius, si genus *nervosum* denique sit sensilius et irritabilius, aliæque subsint *strumæ* notæ, judicare licet veri esse simile, hunc in malum, de quo agitur, incasurum. Præter hæc, si eidem caput sæpe graviter dolet, corpus præter modum calet, hæc statim servari oportet. Leniter quotidie sub dio ambulandum citra sudorem et fatigationem. Victu parciori, tenuiori,

nuiori, et e frugibus potissimum, utendum. Alvus soluta est habenda: et si ratio victus non satis huc valeat, subinde devorandum est medicamentum ad hunc finem: et videndum ut semel certe quotidie alvus descendat. Quinetiam utile erit ulcus excitare alicubi corporis; præcipue ubicunque quam minimum molestiæ facesseret. Nulla ex his antea prætermitti debent, quam tandem, ætate provectiori, et habitu corporis idoneo, et vitæ ratione satis tuta, metum omnem fugatum esse, judicare liceat.

FINIS.